

SCRIPTA

Numéro Scripta : 844

Auteur(s) : Philippe d'Harcourt, Bayeux (évêque)

Bénéficiaire(s) : Odon, Bayeux (chanoine)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1147

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Philippe de Harcourt, évêque de Bayeux, notifie l'accord fait, en sa présence, entre le chanoine Odon et Philippe de Colombières, sur une question qui les divisait relativement à la prébende de Colombières.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Bourrienne Valentin (Abbé), *Antiquus cartularius ecclesiae Baiocensis (Livre noir)*, Rouen-Paris, Lestringant-Picard (Société de l'histoire de Normandie), 1902-1903, 2 vol., n° LII, t. 1, p. 68-70.

Texte établi d'après a

Philippus, Dei gratia Baiocensis ecclesiae minister, praesentibus et futuris salutem, gratiam et benedictionem. Ea, quae debent firma stabilitate permanere, necesse est litterarum memoriae commendari, ne in posterum valeant improborum hominum refragatione turbari. Ea propter.... (sic) controversiae concordiamque, quae in praesentia nostra et capituli nostri facta est inter Eudonem, canonicum nostrum, et Philippum de Columbariis, praesentis scripti attestatione munimus, et auctoritate sigilli nostri et capituli nostri roboramus. Anno igitur a Christo millesimo centesimo quadragésimo septimo, eo scilicet anno quo Laodovicus, rex Francorum, Jerosolimitanae peregrinationis iter arripuit, talis inter Eudonem, canonicum nostrum, et Philippum de Columbariis, super controversia, quae inter ipsos erat, concordia facta est. Habebat praedictus Eudo praebendam suam Columbariis, in qua praebenda erat dimidium molendinum de Asnebeth, et plures vavassores, quos vavassores cum medietate praedicti molendini Eudo canonicus de praebenda sua esse aiebat, et cartarum suarum attestatione firmabat ; Philippus vero de feodo suo esse dicebat. Nos igitur, quamvis concordia ecclesiam nostram gravaret, quum dies mali sunt loco et tempori cedentes, concessimus praedictos vavassores cum medietate molendini Philippo de Columbariis ut in feodo suo haberet ; Philippus vero pro his concessit, ut perpetua possessione in praebenda essent, dimiam (sic) decimam ecclesiae de Columbariis ubicumque est, sive in Maistreio, sive in Bracavilla, tam in agnis quam in blado, et in omnibus de quibus dari debet decima ; et mansuram Gaufridi de Landa, cum tota terra illa quam tenuit die quo fuit vivus et mortuus ; et terram Roberti, filii Hugonis ; et terram parvi monasterii. Insuper ipse Philippus concessit Eudoni, tunc temporis ejusdem praebendae canonici, omnibus eandem habituris, ipsi et omnibus suis hominibus, herbagium tam in plano quam in maresco immuniter, et immunitatem tam in ariete quam in avena et anxere, et in omnibus aliis exactionibus. Haec omnia Philippus super altare Sanctae Mariae per unum artavum posuit, et se, et suum haeredem, firmiter et inconcusse tenere super ipsum altare juravit, ipse, et Ricardus de Humez, et Rogerus Suharth, et Willelmus Goherus, et Ricardus Cornart, Rannulfus Praetor, Radulfus Hamon, Benedictus, Tustinus Basoin, Willelmus Castel, Ricardus Basoin, Willelmus, frater Calvini, Eudo Ursarius, Robertus, filius Anchetilli ; Radulfus etiam Calvinus calumpniam illam, quam in eandem praebendam indicebat, abjuravit et plane in capitulo dimisit. Johannes autem tunc temporis ecclesiae de Columbariis sacerdos erat ; de medietate decimae, quam Philippus in

præbenda concesserat, fidelitatem canonico juravit. Per hæc autem dono et concessione ego Philippus episcopus, et Eudo canonicus, et alii concanonici, prorsus multa dimisimus quæ in ecclesia nostra habere debebat, et diu habuerat. Hujus rei testes sumus : ego Philippus ; et Unfridus, capellanus ; Rogerus, archidiaconus ; Patricius, archidiaconus ; Tustinus de Condeio ; Ricardus de Croileio ; Willelmus Sapiens ; Radulfus Sul... ; Bartholomæus ; Philippus ; Radulfus de Dobra ; totusque ejusdem ecclesiæ conventus.